

consummata infelicitas, cum turpia non solum delectant, sed etiam placent.

V. Carent sensu tactus, quia non emendantur flagellis et minis plagarum, adeo ut ea sentire non videantur. Ita testatur Jer. c. V. dicens: *Percussisti eos et non doluerunt, induraverunt suas facies supra petram: et Prov. XXVII. Contuderis stultum in pila, quasi pisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus.* Quot ictibus et plagis contusus fuit Pharao? Numquid tamen respuit? Numquid emollitus est? Quot beneficiis admonitus fuit Saul? Quot stimulis exagitatus? Numquid mentem mutavit? Quot ictibus pulsatus Judas? Christus ei pedes lavit, comminatus est, corpus suum dedit, osculum amicissimum praeiit; numquid emollitus est? Quot ictibus pulsati Judaei ne Christum morti traderent? Vident se voce ab eo prosterni, aurem Malcho sanari: audiunt ejus confessionem, audiunt Judae revocationem, et uxoris Pilati nuntium; numquid emendati? Ita videmus homines male educatos et vitiis assuetos, vix unquam emendari poenis. Qui enim primo scelere deprehensi infami loco populo ostentantur, mox redeunt ad ingenium, et tum virgis caesi ex uribus peluntur: redeunt tertio nihil emendati, et tunc auribus truncantur; nec finem male agendi faciunt donec suspendantur. Equus quantum vis ferox et indomitus si vel uno clavo in sensitiva ungula parte laedatur, ferociam deponit, dum claudicare cogitur. Sed obstinatum hominem nullus afflictionis clavus retinere potest, ne praefracto animo currat ad libidines suas et ipsum denique interitum. Unde Isaias de talibus ait c. V. *Ungulae equorum ejus, ut silex.* Cum quis ob delicta sua semel, iterum, tertio, et semper acrius incarceratur a magistratu, cum infamia notatur, cum pecuniis mulctatur, cum membro mutilatur, cum a Deo castigatur, morbo, grandine, incendio, etc. annon isti clavi sunt, quibus subnervare petulantem illum equum intendit Deus? Attamen obstinatus nihili haec facit: imo, quod stupendum, pejor inde fit et durior, uti incus crebris pulsata ictibus. Audi Job. c. XLI. *Cor ejus (inquit) indurabitur tanquam lapis, et quasi malleatoris incus stringetur.* Exemplo est Pharao, qui ex plagis obstinatio, et Nabal, qui ex correctione uxoris factus est ut lapis. I. Regum XXV. Deinde, videntur carere sensu et remorsu conscientiae, quemadmodum ebrius consopitus, de quo dicitur Proverb. XXIII. *Verberaverunt me, sed non dolui: traxerunt me et ego non sensi.* Ita enim qui vitiis inebriati sunt, ita demum consopiantur, ut non sentiant ictus et vulnera a daemonibus sibi inflictia: nec

vincula, quibus ad oreum trahuntur. Vesica pisis plena, non resonat, nec auditur: sed ea solum, quae paucula in se grana continet: ita perversi, qui peccatis pleni sunt, non sentiunt remorsus et latratus conscientiae: sed qui pie vivere constituerunt, cito ex pauculis delictis ad compunctionem excitantur.

VI. Carent manibus ac pedibus, adeoque omni motu nisi quod deorsum semper ruant, de peccato in peccatum, sursum vero ad poenitentiam et bene agendum commoveri nequeunt. Ut enim petra suoapte pondere, quaque potest, descendit, numquam vero nisi forti impulsu ascendit; ita et obstinati suoapte perversitate de peccatis in peccata ruunt, ad poenitentiam vero et pietatem vix aut nunquam impelli possunt, adeo ut Jeremias de illis dicat, c. XIII. *Si potest Aethiops mutare pellem suam aut pardus varietates suas: et vos poteritis bene facere cum didiceritis malum.* Fabulantur aliquando Aethiopem emptum esse ab aliquo, qui putabat illum non natura, sed negligentia prioris domini adeo denigratum: itaque herus lavare illum coepit, et modis omnibus tingere, quo abstergeret nigrorem; sed aliud non effecit, nisi quod Aethiopi vexando morbum attulit. Ita fere res habet cum obstinato; tametsi enim ei malitia non est naturalis, abstersu tamen perquam difficilis. Multos legitimus frustra laborasse in molliendis obduratis veluti lapidibus elixandis, uti Jonathan in patre suo Saule, I. Regum XX. qui sua lotionem id effecit, ut a patre lancea impetitus pene occisus fuisset. Nicephorus imp. iconoclasta et Manichaeorum patronus, dum Ecclesiam gravibus premeret exactionibus, omnium ordinem suscitavit querimonias et lamenta. Monitus hac de re a Theodosio Salibara patritio, respondit: *Si Deus obduravit cor meum ut Pharaonis, quid boni erit his, qui sub manu mea sunt, a Nicephoro? Theodosi noli expectare praeter ea, quae vidisti.* Item contra Bulgaros movens pacem petenti Crunno Bulgarorum regi, dare abnuit, dicens: *Qui sive Deus sive adversarius trahet me nolentem?* Sed quid actum? Crunus in furorem versus, de nocte profligavit et occidit eum cum magna parte nobilitatis. Porro ejus recisum caput per dies complures e sublimi ligno suspendit, posteaque ipsum cute nudans et argento forinsecus vestiens bibere ex eo Sclavinorum principes exemplo suo docuit gloriabundus, Zonaras, tom. III. Vultis aliud exemplum? Caesarius scribit de divite quodam in episcopatu Ultrajectensi colono nomine Godsealeo, pessimo usurario. Accidit anno Domini 1219, ut hic molam, quam tamen vesperi famulus bene adstrinxerat noctu audiret

versari. Vocavit famulum, et misit eum ad molam. Famulus illic veniens tanto pavore concussus est ut domum recurreret ad herum suum, dicens nullo se pretio illuc reversurum. Surrexit herus ejus, et induit pallium, cui crux inserta erat, (susceperat enim contra Turcas crucem) et ipse perrexit ad molam, et ibi duos nigerrimos conspexit equos, ac virum unum paris nigroris, qui jussit ut pallium deponeret, ac alterum equum ascenderet. Equitabant simul ac venerunt in infernum; ubi Godscalcus patrem invenit, ac matrem, aliosque notos in tormentis, ac in medio flammarum sedem vidit candentem, quam cum vidisset, dictum est illi: *Vade domum, post triduum morieris, et illa sede sedebis in aeternum.* Reductus est ab eodem illo duce ad molam suam, et ab uxore inventus semivivus, ac domum reportatus, narravit quaecumque in inferno viderat. Vocatus est statim sacerdos, qui ipsum ad preces poenitentiamque hortabatur, dicens quae illi videbantur opportuna; sed non movebatur iis Godscalcus. *Quid enim (inquit) preces proderunt ac confessio? Paratus mihi illic est locus, illuc ibo, nec orare nec dolere possum: frustra me monetis.* Atque ita post triduum, sine poenitentia mortuus est.

Bene igitur veteres pinxere obstinationem, forma mulieris nigris induta vestibus, quia is color a nullo vincitur, caput habentis plenum nubibus, quia radios solis, id est, lumen veritatis arceat, asini caput in manu habentis, quia id animal obstinatissimum est.

Sed quid tandem fiet cum ejusmodi lapidibus? Idem quod cum Pharaone et exercitu ejus, de quo canit Moyses, Exod. XV. *Descenderunt in profundum quasi lapis;* quia *cor durum male habebit in novissimo.* Eccles. III. Quemadmodum tauri silvestres in Aethiopia, cornua habentes mobilia, pilum in contraria versum et tergus duritiae silicis omne vulnus respientes, omne animal venantes, non aliter nisi foveis capiuntur, teste Plinio, lib. VIII. cap. XXI. Ita obdurati quia omne vulnus respuunt, ob duritiam cordis, pilos in contraria versos habent, quia peccata etiam defendunt; ideo non nisi fovea capiuntur infernali. Audi S. Bernardum, lib. de considerat. c. III. « Nemo duri cordis, inquit, salutem unquam adeptus est, nisi quem forte miserans Deus abstulit ab eo (juxta prophetam) cor lapideum et dedit cor carneum: quid ergo cor durum? Ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate molitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judicia saevum, inverecundum ad turpia,

impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, praeteritorum obliviscens, praesentia negligens, futura non providens, etc. » Denique concludit: « Ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur. » Haec Bern. Caeterum licet haec ita se habent, non est tamen omnino desperandum de obstinatis. Potest enim Deus Aethiopem dealbare, potest et e lapidibus filios Abrahamae excitare, potest tollere cor lapideum et dare cor carneum, ut indicavit S. Bernardus. Ad illum igitur eundem, ad illum clamandum: Percute, Domine, percutite silicem cordis nostri, et educ aquam lacrymarum, etc.

CONCIO IV.

QUEMLIBET SUO STATU CONTENTUM ESSE DEBERE.

I. Non fit tibi injuria. — II. In quocumque statu bonus esse et Deo placere potes. — III. Nescis quis tibi statu expediat, Deus scit. — IV. Varietas statuum necessaria. — V. Inferior status superiorem aquare potest.

THEMA.

Aliud cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum centuplum. Luc. VIII.

Quemadmodum terra mala, in quam cecidit pars seminis, triplicis generis fuit, alia mala, spinosa; alia pejor, petrosa; alia pessima, quae secus viam calcata. Ita et terra bona, in quam cecidit altera pars semini, triplicis conditionis fuit, ut habet Matthaeus et Marcus: alia bona, quae tulit fructum trigesimum; alia melior, quae sexagesimum; alia optima, quae centesimum. Sed relicta nunc terra mala, de bona loquimur: cujus differentias interpretatur, S. Augustinus, Hieronymus, Cyprianus. statuum diversitatem quoad merita. Quae quidem interpretatio merito omnibus magnam afferre consolationem debet; siquidem videmus dominum sementis bene contentum fuisse, licet non omnia semina centesimum, sed alia minorem fructum attulerint. Hoc ipse enim nobis insinuat Christus se nobiscum contentum fore quocumque in statu simus, dummodo fructum afferamus, etsi non omnes maximum. Cujus rei figura videtur fuisse, munus purificandae mulieris, cum in templo praesentari deberet, Levit. XII. ut scilicet si suscepto semine peperisset, post quadraginta dies agnum afferret, vel si hunc non inveniret manus ejus par turturum; aut si nec hos, tanquam rariores habere posset, duos pullos columbarum, quos etiam pro Christo oblatos putat Mal-

donatus, in cap. Lucæ. Ad eundem ergo modum pro suscepto semine verbi Dei, post vitam hanc Deo in templo ejus præsentandi, munus offerre debemus: sed quale habere potuimus, sive agnum, id est, centesimum fructum; sive turtures, id est, sexagesimum; sive columbas, id est, trigesimum. Bono igitur animo estote, quicumque in humili, rigido, contempto, difficili aut periculoso statu estis: quia non requiret a vobis Deus plus quam ferre potestis. Sed quia multis cum statu suo male conveniri videtur, videbimus quam immerito de hoc conquerantur.

I. Qui de statu suo queritur, perinde facit ac si ager quispiam conqueri vellet, quod ipse viliori semine, utpote avenæ vel simili consitus sit; cum tamen alii plerique triticeo respersi sint. Cui proinde respondeo. Agro non fieri injuriam, quia in potestate domini est serere in illo quod vult, utpote in fundo suo: pari modo omnes nos Dei servi sumus, multiplice ratione, quemadmodum David, Ps. CXV. fatetur: *O Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.* Servus primo, ratione creationis, qui enim potuit te muscam aut bufonem creare, vel omnino non creare, sed in abyssonihili relinquere, cur non potuisset te servum creare, vel pauperem operarium, aut agricolam, etc. *O homo, tu qui es, inquit apostolus ad Rom. c. IX. qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? Annon habet potestatem figulus lutæ ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Atqui nos figmentum Dei sumus et de limo terræ ficti: quomodo igitur non liceat illi fingere nos quales vult? Alios in mensæ, alios in culinæ vasa qui potuit nos informes deserere, vel natos mox confringere, et ad parietem allidere?

Quæramus enim ex aliquo servo, operario, bubulco, imo abjectissimo quoque homuncione: velletne non natus esse, vel natus mox in flumen abjectus esse, vel mox etiamnum interim? Vel malletne canis aut bufo creatus esse? Quis ita foret stupidus ut hoc assereret? Atqui hæc omnia potuit tibi facere Deus: habes igitur satis magnum beneficium, quod creatus sis saltem homo; qualiscumque tandem ille. In hist. ecclesiast. Concilii Constantiensis narratur apud Maiol. t. IV. coll. de bubulco quodam, qui cum aliquando humi repentem bufonem conspexisset, subito exclamare et ejulare cœpit. Cumque duo episcopi qui tum forte hac iter faciebant, eum interrogarent, cur ita lacrymaretur, respondit se illius bufonis conspectu suæ erga Deum ingrati-

ditinis commonefactum, quod nunquam in vita pro beneficio creationis Deo egisset gratias. « Cum enim in potestate Dei fuerit, inquit, me aut hominem aut tam tetrum et venenatum animal creare; maluit tamen immensa bonitate me ad imaginem suam edere. Hæc jam primum cogitans cœpi execrari meam ingratitude veris lacrymis et gemitu cordis, in posterum promitto, majore studio, me Deo gratias acturum pro summis ipsius beneficiis. » Quo responso obstupefacti episcopi sese mutuo contuentes mirati sunt tantam bubulei sapientiam. Nec immerito quidem, si enim bubuleus, qui miseriam pene inter homines et infimam sortitus est fortunam pro tanto habuit se hominem a Deo qualem esse conditum: quid dixisset si non bubuleus, sed episcopus fuisset? Nos vero exemplo illius discamus sorte nostra qualicumque contenti esse, imo Deo gratias agere, qui longe digniore fortuna a Deo donati sumus.

Secundo, ratione redemptionis, qua nos in servos sibi coemit, novoque jure adstrinxit. Jam vero quis Christianus, in durissima Turcarum et triremium servitute constitutus, si a principe quopiam christiano pretio redimatur, non libenter ei inserviat in quocumque etiam vilissimo officio? Atqui Christus Dominus noster, non a Turcarum sed dæmonum perpetuis triremibus nos redemit, et per gratiam suam in libertatem spiritus asseruit, qui corpore et animo vincti tenebamur: cur igitur detrectemus ei deservire quocumque tandem in ministerio? An nescimus quid dixerit prodigus ille in regione famis inter porcos serviens: *Pater peccavi in cælum et coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis?* Luc. XV. D. Hieronymo, ep. CXLVI. ad Damas. Aug. Beda et aliis testibus, nos sumus prodigi illi, qui dissipata substantia nostra adhæsimus dæmoniæ servituti. Cum igitur a Christo redempti simus, annon merito ei dicamus: Non sumus digni vocari filii tui, fac nos tantum mercenarios tuos: quocumque in statu, quocumque ministerio gratis serviemus?

Tertio, ratione specialis obligationis, qua in Ecclesia, Dei ancilla, militamus: quod indicavit ex sententia S. Augustini David cum dixit: *Et filius ancillæ tuæ.* Ex quo enim per baptismum in Ecclesiam Dei intravimus, voluntatem nostram Christo, quasi per votum obedientiæ transcripsimus, ut quocumque tandem in statu nos habere velit, ei servire debeamus. Unde sicut in religionibus cuicumque muneri quis addicatur, sive rei culinariæ, sive visitandis ægris, sive familiæ alendæ, in eo sine contradictione deservire debet: ita suo modo etiam membra Ecclesiæ, quæ spe-

ciali cura et dispositione Christus regit, tamquam corpus suum mysticum. Unde I. Cor. VI. jubet apostolus quemlibet ambulare sicut vocatus est a Deo, in eoque statu permanere. Conjice, quæso, oculos in cœlestes hierarchias, quæ licet gradu et dignitate distinctæ, nullum tamen quantumvis abjectum detrectant officium. Nec enim major contemnit minorem, nec minor invidet majori, nec alter alterius usurpat officium. Sed omnes suo gradu contenti, quocumque mittantur, promptissime obsequuntur. Hinc enim Raphael, unus licet e septem præcipuis, qui assistunt ante Deum, missus ad inserviendum Tobie in ministeriis quæ famulorum erant, promptissime ministrabat, Tobie XII. Eadem animi tranquillitate alii custodiunt Æthiopem aut hominem prorsus amentem, qua alius principem: gyrant alii cælum de communiore sententia, quod munus tamen respectu angelicæ naturæ ignobile videtur.

II. Quia Dominus agri non tam curat quale frumentum ager ferat, quam ut id, quod serit, bonum ferat: optima enim avena gratior est domino, quam malum triticum. Similiter quoque Deus non tam curat qualem quisque statum gerat, quam ut in suo statu quisque se optime gerat; siquidem hic est omnium statuum scopus, ut Deo placeant. Tunc vero placet servus domino suo, cum facit ea, quæ domino placent. Hinc ergo Joannes Baptista venientibus ad se publicanis et militibus, quærentibus, quid sibi faciendum esset, non jussit ut se officiis suis licet periculosissimis abdicarent, sed ut facerent quod sibi constitutum est, neminique nocerent, Luc. III. Quæ res aptissima similitudine declarari potest ex Epicteto Platónico, in enchirid. c. XXII. Quemadmodum enim in comœdia variis variæ personæ distribuuntur agendæ; alii persona regis, alii pontificis, alii rustici, alii mendici, etc. et illis quidem dantur pulchræ vestes; his vero lacere et sordidæ: quorsum vero? Num quia illorum personæ pluri aestimantur? Minime vero, sed propterea ut suam quisque personam representet habitu et apte gerat in actione, quæcumque illa sit. Unde qui mendicum apte agit aut rusticum ab omnibus laudatur: qui vero principem aut episcopum frigide, sibilis exploditur. Ita res habet in proposito. Comœdiam omnes agimus, suam quisque personam habet; alius servi, alius domini, alius episcopi, alius coqui: et ad has agendas, vestes quilibet appositas a Deo accepit: ingenium, vires, opes, robur, potestatem, dignitatem, etc. In hac spectaculum sumus mundo, angelis et hominibus, ut ait apostolus: nec aliud jam quærit Deus, quam suam ut personam quilibet recte agat: eos enim præmiat, qui in

I.

sua se vocatione bene gesserit: *damnat vero eos qui male.* Inspiciamus, quæso, Lazarum mendicum et epulonem, mirabile par actorum. Istum quidem vestivit Deus purpura et bysso ut personam divitis recte posset agere: illum vero lacero centone et ulceribus replevit, quo personam mendici pulchre representaret. Ac siquidem dives de mensa surrexisset et Lazarum solatus esset, aut saltem per famulos pavisset, partes suas recte egisset; quia vero id non fecit, reprobatus et e theatro mundi exturbatus est: Lazarus vero quia mendici personam optime gessit, præ foribus divitis patienter expectando, famem tolerando, angelorum plausibus approbatus et manibus exceptus, in sinum Abrahæ portatus est. Quod si ipse præ foribus divitis sedens et nihil accipiens, murmurasset, diviti maledixisset, aut Deum blasphemasset, malus actor et una epulone explosus fuisset. O quam sæpe hoc continget! Regis mancipium, pontificis coquus, etc. præbunt sæpe dominis suis in regno cœlorum: quia, ut ait B. Greg. « In examine justi judicis, mutat merita ordinum qualitas actionum. » Et B. Hieronymus contra Jovin. « Cernis, inquit, quod episcopus, presbyter et diaconus non ideo sint beati, quia episcopi et presbyteri sunt vel diaconi, sed si virtutes habuerint nominum suorum et officiorum. Alioqui si diaconus sanctior episcopo suo fuerit, non ex eo quod inferiori gradu est, apud Christum deterior. » Hæc ille.

III. Quia Dominus agri bene scit, cui fructui ferendo aptus sit ager, similiter et Deus optime scit quis status cuique competat: *Oculi enim Domini, inquit Ecclesiasticus, cap. XXIII. multo plus lucidiores sunt super solem circumspicientes vias hominum.* Si tu ad bivium venias, vides quidem initia utriusque viæ, sed non vides media et fines. Unde nisi ab alio dirigaris, facile aberrabis: is vero solus recte tibi consulere poterit, qui totas videt vias. Tu quidem vides initia statuum et placent tibi illa ac dicis: Quam bene mihi foret, si prælatus, si nobilis, si consul, si dominus essem. Sed nescis quo te viæ illæ ducturæ essent, si eas ambulares. *Est (enim) via, inquit Sapiens, Proverb. XVI. quæ videtur homini recta et novissima ejus ducunt ad mortem.* Novit autem solus Deus, cujus oculi circumspiciunt vias hominum, ut ait Sapiens. Exemplo sunt Abraham et Loth, Gen. XIII. qui cum ob multitudinem pecorum et familiæ simul habitare pacifice non possent, dedit Abraham potestatem Lotho eligendi sibi regionem quam vellet. Lotho igitur elegit sibi amoeniorem, ut ipsi videbatur, revera tamen pejorem, quia habitavit in Sodomis, quæ paulo post

eversæ sunt. Abraham vero commisit viam suam Deo et discessit a Loth; mox vero apparens ei Deus assignavit ei Chananæam regionem longe meliorem et majorem: *Omnem terram inquit, quam conspicis, tibi dabo et semini tuo usque in sempiternum.* Considerabat Loth initium viæ tantum non exitum, ideo in electione sua deceptus est et in societatem pessimam incidit. Abraham Dei directionem expectabat, ideoque secure et bene habitabat. Qui non expectat ducem viæ quam ignorat, et proprio ductu progreditur, sibi ipsi relinquitur: et qui in electione status os Domini non interrogat, sed proprium ductum sequitur, merito ab ipso deseritur et errare permittitur. Contra vero qui Dei directionem petit et sequitur, semper securum ad Deum recursum habet et quasi de jure auxilia sibi ad illam necessaria exigere potest. Propterea cum S. David sedulo orandum: *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas; tunc non confundar, etc.*

IV. Quia licet omnes agri alicujus domini melius frumentum ferre possent, mavult tamen dominus quosdam agros vilioribus conserere; quia omni genere frumenti ac proinde etiam vilioribus indiget. Similiter et Deus ad Ecclesiæ suæ conservationem variis indiget statibus, vilioribus, dignioribus, ut alter alteri serviat, alter alterum foveat et juvet, hocque requirit Ecclesiæ et totius communitatis tranquillitas, vinculum et subordinatio. Ut enim robor exercitus consistit in eo ut singuli stationem suam servant, malintque occidi quam eam deserere; ita et robor Ecclesiæ quæ Cant. VI. *Terribilis ut castrorum acies ordinata* dicitur ex statuum coordinatione et conservatione. Dum Moyses levat manus et orat cum Hur et Aarone, Josue vero cum populo pugnat, ambo vincunt, Exod. XVII. Inde notum illud: *Tu supplex ora* (clerice), *tu protege* (miles), *tuque labora* (agricola.) Comparatur etiam Ecclesia corpori humano ab apostolo ad Eph. IV. dicente: *Obsecro vos ut digne ambuletis vocatione, qui vocati estis cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus et unus spiritus, etc.* In corpore humano pedes sunt servi, manus operarii, stomachus coquus, pulmo calefactor, dentes molitores, lingua procurator, oculus gubernator, sensus externi mercatores, interni milites. Igitur ut omnia corporis membra sibi invicem servant, itaque invicem conservant, quia quodlibet eorum suo munere fungitur; licet aliud sit infimum et sordido ministerio addictum ut pedes, aliud vero supremum et nobilissimi muneris, ut oculi (quia hoc pacto et illis et toti corpori prospicitur): ita

etiam fieri necesse in corpore Christi mystico scilicet Ecclesia. Contra vero ut morbi et corporis dolores oriuntur ex aliqua membrorum disjunctione eo quod non sint in suis locis, nec officio suo pro cuiusque exigentia fungantur: ita et turbatio in Ecclesia vel republica oritur ex defectu unionis membrorum, vel quod aliqua officium suum non faciant, vel unum alterius officium usurpet. Rursum oculus supra pedem non se extollit, nec post ob muneris sui vilitatem indignatur, quia nec oculus sine pede, nec pes sine oculo multum valet. Unde I. Cor. XII. dicitur: *Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore sicut voluit.* Ita faciendum et nobis. Gaudemus quod corporis Christi et Ecclesiæ membra simus, etiamsi pedes et infima: quemadmodum et Theodosius imp. dicebat, gaudere se magis quod sit Ecclesiæ membrum, quam quod sit imperator: proinde electurus potius esset pes in Ecclesia quam imperator extra Ecclesiam. Erit aliquando tempus cum non tantum caput, oculi, etc. sed etiam pedes in cælum inferentur et magis quam sol radiabunt: quis tunc non optaret vel esse minimus pedis digitus in corpore Christi?

V. Quia ager viliore semine consitus, vilitatem seminis bonitate et quantitate compensare potest et hoc modo perfectionem agri tritici adæquare vel etiam superare. Ita enim usu venire etiam videmus in artificibus ut multi artifices propter artis suæ excellentiam celeberrimi in mundo fiant et honorentur a principibus plusquam nobiles aut doctores. Tametsi enim status perfectior multum juvat ad perfectionem majorem consequendam; fit tamen sæpenumero, ut qui in statu imperfectiori est, superet aliquem, qui in perfectiori, ita aves aliquæ in humili loco (uti struthio) inter frutices nidificant: *Stellio* contra manibus nititur et moratur in domibus regum, ut ait Sapiens, Proverb. XXX. In quem locum D. Greg. lib. VI. moral. c. V. ait: « Plerumque enim aves, quas ad volatum penna sublevat in vepribus resident, et stellio, qui ad volatum pennas non habet, nitens manibus regis ædificium tenet: quia nimirum sæpe ingeniosi quique dum negligentia torpent, in pravis actionibus remanent: et simplices, quos ingenii penna non adjuvat, ad obtinenda æterni regni mœnia virtus operationis levat. » Hæc Gregor. Igitur revera multi implumes, ut ita dicam, altius repunt suumque in cælo nidum collocant, quam alii alati volent. Ratio est quia regnum cælorum non datur scientiæ vel statui vel ingenio, etc. sed virtuti et innocentia, quæ in quovis statu a quocumque obtineri po-

test. Unde Luc. XVII. quærentibus Pharisæis de regno Dei, respondit Dominus: *Regnum Dei intra vos est, q. d. ut exponit Tertul. l. IV. contra Marcion. cap. XXXV. et Theoph. hic, in vestra potestate est, et in quovis reperitur, neque longa ad eam peregrinatione opus est: id unum requiritur, ut audiat et faciat Dei voluntatem; sic enim regnum cælorum facietis vestrum. Quis autem nescit ad virtutem æqualem omnibus accessum esse? Existimabat aliquando S. Petrus regnum Dei intra gentiles esse non posse, nec ipsos fieri Deo acceptos. Ad abolendam hanc opinionem illius apposuit ei dormienti Dominus in mappa comedendum omne genus quadrupedum, serpentem et avium; qui cum abhorrens recusaret immunda comedere, statim audiit: *Quod Deus purificavit, tu ne immundum dixeris; sicque misit eum ad centurionem gentilem, baptizandum tamquam virum Deo acceptum.* Unde postmodum ait Petrus: *In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi, Actor. X.* En igitur centurio invenit intra se regnum Dei, bene operando; et non tantum non ad illud proficisci debuit, sed potius apostolus ad eum missus est. Similiter intra se invenerunt regnum Dei ex plebeio statu S. Servulus mendicus, S. Gutmannus sartor, S. Gualvardus clitelarius, S. Eligius aurifaber, S. Severus textor, S. Mennigus fullo, SS. Simeon Wallericus et Sozon pastores, S. Zacharias sutor. Quemadmodum et ille, qui montem precibus jactavit in mare in lib. exemp. dist. IX. ex. CXLV. apud Dauroit. Etenim: « An. 623. Calippus rex Tartarorum conatus est extirpare Christianos de regno suo, quia Christiani mixti habitabant inter paganos. Unus autem de consiliariis suis consuluit, ut omnes vinceret ex evangelio. Nam Christus Deus Christianorum locutus est: Si quis Christianus non hæsitaverit, et dixerit monti huic tollere et mittere in mare, fit ei. Qui convocavit omnes Christianos quæsit si verbum Christi et evangelium verum sit? Respondentibus omnibus, quod sit, statim comminatus est eis, quod nisi infra decem dies hoc factum ostenderent, omnes perirent. Tunc episcopus et sacerdotes convocarunt Christianos et indicto jejunio per triduum et orationibus intendentes rogaverunt Dominum Jesum Christum, ut suis fidelibus succurreret: et revelatum est cuidam episcopo devoto, quod sutor monoculus dignus esset proferre illa verba et populum Christi de periculo eruere. Qui ex humilitate renuit, et se peccatorem ecce asseruit; tamen ex obedientiæ præcepto se submitit. Et Christiani ex una parte steterunt et crucem Christi secum habuerunt, et Callippus*

ex alia parte cum populo suo, qui fuerunt parati ad occidendum Christianos. Oravit autem sutor flexis genibus, ne Christus tot Christianos necari permetteret et præcepit monti, ut se tolleret; quod et statim factum est: quo viso rex baptizatus est et plures cum eo; et sic fides roborata est et augmentata. »

CONCIO V.

MODUS AUDIENDI VERBUM DEI.

I. Prævia oratione. — II. Prævia compunctione. — III. Media attentione. — IV. Sedula memoratio. — V. Adhibita ruminatio. — VI. Cum gratiarum actione.

THEMA.

Aliud cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum centuplum. Luc. VIII.

Magna differentia cernitur in hodierno evangelio circa semina in agrum jacta. Alia enim perierunt; et horum aliud, quia nec radices egit, sed cum in viam cecidisset, statim vel a volucris raptum, vel ab hominibus concalcatum est; aliud radices quidem, sed non altas egit, quia in petram incidit et humore destitutum, brevi exaruit; aliud germinare cepit, et in culmum se erigere, sed simul exortæ spinæ suffocaverunt illud. Triplex ad hæc diversitas apparet in semine utiliter jacto. Aliud enim fecit fructum trigesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum. Unde vero dicat aliquis, tam diversa seminum conditio? Non equidem a seminate, qui in omnibus idem et unus fuit. Neque etiam a semine, quod fuit uniforme. Restat ergo, ut a terra, in quam jacta semina, varietas hæc proveniat. Qua quidem re docemur, fructum verbi Dei pendere magna ex parte a dispositione auditoris. Qualiscumque enim sit prædicator, modo legitime missus; qualiscumque sit prædicatio, modo verbo Dei consona, parum id ad fructum refert. Plurimum autem refert qualis sit auditor. Hinc ergo, auditores, necessarium esse duxi, methodum audiendi verbi divini præscribere: quam duplici metaphora discemus, seminis nimirum in terram jacti, et refectionis corporalis.

I. Ante sementem præparatur terra ad recipiendum semen, prævia aratione. Ita ante concionem præparanda anima, præmissa oratione, ut detur tam auditori cor carneum et docile, mens collecta et illustrata, aures apertæ, quam ipsi concionatori lingua erudita et soluta,